

2

103

ASSERTA THEOLOGICA,

EX LIBRIS XII.

DE LOCIS THEOLOGICIS

CLARISSIMI VIRI

F. MELCHIORIS CANO,

DE PROMPTA,

ET VARIIS ILLUSTRATA,

QUAE PUBLICÈ PROPUGNABIT

D. IAC. A RIOS SALAZAR,

ET TORRES. SALAR. PHIL. BACC.

PATRONO

F. THOMA ESPAÑOL O. P. PHIL. MAG.

THEOL. LECT. AC FIDEI CENSORE.

IN REGIO S. P. DOMINICI TEMPLO

Diebus 26. & 27. Sept. an. 1779. h. 4. Vesp.

---

Palmae Balear. Excudebat GUILIEL. Bauçà Typ.

ASSETATA THEOLOGICA

DE LOCIS THEOLOGICIS

CLARISSIMI VIRI

F. MEBOMIORIS CANO.

DE P. R. O. M. A.

ET VARIIS ILLUSTRATA

CUM PUBLICE PROPOUNDA

D. IAC. ARIOS SALAZAR,

ET TORRES SALAZAR THE. SAC.

P. A. T. R. O. N. O.

F. THOMA ESPAÑOL O. P. A. P. H. I. C. I. MAG.

THEOL. LECT. ACT. DEI CENSORE

IN REGIO S. D. DOMINICI TEMPIO

— P. A. T. R. O. N. O. —

D. O. M.

HISPANAE. ECCLESIAE. CONDITORI.

PROTOMART. APOSTOLORUM. DOMINI.

**DIV. IACOBO. APOSTOLO.**

QUI. PRIMUS. SACELLUM. DEO. IN. H. ET. M.

DEIP. VIRG. IN. HUMANIS. AGENTIS.

CAESARAUGUSTAE. DICAU.

MUNDI. MAGISTRO.

CUIUS. SACRATISS. CORPUS. MART. CONSUM.

AB. HIEROSOLYMIS. IN. IOPEM.

AB. IOPE. DIVINITUS. NAVI. TRANSVECTUM.

INAESTIMABILE. PIGNUS. COMPOSTEL.

CONDITUM. OMNIBUS. EST. OMNIA. FACTUM.

ARABUM. DEBELLATORI.

QUO. DUCE. IBERICA. ACIES. PUGNAVIT. VICIT,

PRAESENTISSIM. HISPANORUM. TUTELARI.

PERQUEM. INDOR. SAEPIUS. AGMINA.

AD. CUSCOV. ET. CARCHIAS. PERUVII. PROFLIGATA.

UTRIUSQ. HESPER. PATRONO. OPTIMO.

**D. E. S. T. T. D. O. C.**

IACOBUS. A. RIOS. SALAZAR. ET. TORRES. PHIL. BACC.

---

D. O. M.

HISPANAE ECCLESIAE CONDITORI  
PROTOMART. APOSTOLORUM DOMINI

DIV. JACOBO. APOSTOLO.

QUI PRIMUS SACELLUM DEO. IN. H. ET. M.  
DEI. VIRG. IN. HUMANIS. AGENTIS.

CAESAR AUGUSTAE DIGA  
MUNDI MAGISTRO.

CUUS. SACRATISS. US. MART. C.

AB. HERG. S. MART. C. I.

AB. IOPE. DIVINI. C. I. ECTUM.

INAESTITIMABILE. A. APOSTEL.

CONDITUM. OMNIBUS. OMNIA. FACTUM.

AR. S. A. REBELLATOR.

QUO. DIC. S. A. ACIES. FUGNAVIT. VICIT.

ISSIM. HISPANORUM. TUTELARI.

ERQUEM. INDOR. SAPIUS. AEMINA.

AD. CUSCOV. ET. GARCHIAS. PERUVII. PROFLIGATA.

UTRIUSQ. HESPER. PATRONO. OPTIMO.

D. E. S. T. D. O. C.

A. CORUS. A. RIOS. SALAZAR. ET. TORRES. PHIL. BACC.



## LIBER I.

### DE LOCIS THEOLOGICIS.

- I. **C**UM auctoritas primum in Theologia locum obtineat; ratio verò habeat postremum, peculiare sibi locos Theologus vindicare debet, è quibus suas argumentationes, sive ad confirmandum; sive ad refellendum depromat.
- II. Sunt equidem hi loci decem, in quibus argumenta omnia Theologiae delitescunt; eo scilicet discrimine in lucem erudenda, ut quae è septem prioribus locis eliciantur, propria fere sint ea huius facultatis; quae verò ex tribus posterioribus, ascriptitia sint, ac velut ex alieno emendicata.

## LIBER II.

### DE SACRARUM LITTERARUM SOLIDISSIMO FIRMAMENTO.

- I. **A**C primus quidem locus, cuius auctoritas totius Theologiae fundamentum est, firmus divina, eademque gravissima auctoritate, Sacra est Scriptura. Nam libros sacros, & Canonicos appellamus, quos, Spiritu Sancto dictante, sacri auctores exceperunt.
- II. Proinde, Dei auctoritatem habent, qui etiam ex absoluta potentia, nec per se, nec per alium mentiri, vel fallere quempiam potest.
- III. Iam ergo, & Abraham, dum pueris dixit: *expectate hic cet,* & Iacob, tum etiam cum praeripuit fratri benedictionem, à mendacio excusamus.

## SCRIPTURARUM IUDEX. CANONICI LIBRI.

- I. **P**eriret sacrarum certitudo litterarum, si ex scripturis ipsis, vel ex privatis Reipublicae Christianae Civibus, dignoscendus esset librorum Canoniceorum numerus: ad Ecclesiae igitur tribunal est haec quaestio referenda; & eius decretum Lydius lapis est ad explorandum, qui liber Canonicus sit.
- II. Cave, ne, à populo rudi testimonium sacrarum litterarum à nobis postulari iudices. Concilium enim universale praecipue, & summus Pontifex solum definire debent, qui libri Canonici sint.
- III. Quamobrem librorum Canoniceorum Elenchum LXXII. numero, cum Tridentina Synodo sess. 4. complectimur. Hinc iam inter sacros, & divinos connumerandi sunt libri, quos modo negant Heterodoxi, negarunt olim viri pii iuxta ac docti, Baruch videlicet, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, primus, & secundus liber Machabaeorum.
- IV. Haereticum insuper iudicamus, Epistolam ad Hebraeos, quam Pauli esse dicimus, Epistolam Iacobi, secundam Petri, duas posteriores Ioannis, Epistolam Iudae, & Apocalypsis librum, à Canone Sanctarum Scripturarum eximere.
- V. Singula quaeque Scripturae Sacrae, Spiritu Sancto inspirante sacri auctores conscripsere.

## COROLLARIUM.

**P**raeter enumeratos à Tridentino libros, nullus est in Ecclesia, qui divinam habeat auctoritatem: iccirco tertium & quartum Esdrae librum, Manassae orationem, tertium & quartum Machabaeorum, à Canone reiicimus. Librum etiam Enoch, cuius hodie fragmentum extat, apocryphum esse tuemur.

## SACRAE SCRIPTURAE VERSIONES.

- I. **I**nter universas Bibliorum versiones, ipsa Vetus, & Vulgata editio, quam post tempora Divi Hieronymi latina Ecclesia

clesia usurpavit, à fidelibus est retinenda, in his omnibus, quae ad fidem, & mores spectant.

II. Quocirca, si qua morum, & fidei quaestio inter catholicos exoritur, eam defini oportet per latinam hanc Veterem Editionem; cuius videlicet si aliquod testimonium, alteram quaestionis partem confirmaverit, ea sit Catholicis amplectenda, sin contra reprobaverit, reiicienda.

III. In fidei, ac morum disputatione non est nunc temporis ad Hebraica, Graecave exemplaria provocandum; nec in iis, quae ad fidem, moresque pertinent, sunt Latini codices per Hebraicos, & Graecos corrigendi.

IV. Prima Hebraicorum fontium in Graecum versio sub Ptolemaeo Philadelpho à LXX. interpretibus adornata, maxime fuit in primaeva Ecclesia auctoritatis.

V. Haec Editio, non modo Legem, sed omnes libros Canonis Hebraeorum complectitur. Ut nunc haberetur non est ab omni menda, vel levissima, immunis: in iis omnibus est amplectenda, ubi à nostra Vulgata notabiliter non discordat.

VI. Symmachi, Theodotionis, & Aquilae translationes, iam tempore D. Hieronymi, parum auctoritatis habuere. Versiones Haereticorum piis omnino mentibus formidandae. Etsi non facile dictu sit, an plus commodi, quam incommodi, tot Catholicorum versiones Ecclesiae attulerint, certe iis subiiciuntur inconvenientibus, quibus reliquae verbales translationes. Cum non repugnant Vulgatae, àbunde satis erit, si concedamus nos posse illis, velut expositioni, non ut textui, adhaerere.

APPENDIX.

**A** Zariae oratio, trium puerorum Hymnus, historia Susannae, Belis, Draconis, & Habacuc apud Danielem, 12. extremi versiculi Marci Evangelii, versus, item 43. & 44. cap. 22. Lucae, historia probaticae Piscinae, & Mulieris adulterae apud Ioannem: ac praeclarum illud testimonium de tribus in Coelo testibus I. Ioann. 5. tamen in huius temporis exemplaribus Graecis, aut Hebraicis non habeantur, inter Canonicas Scripturas computari debent. Quid

8  
Quid ergo? nam & unum pene fueram oblitus; nonne lin-  
guae utiles sunt? Sunt sane. Et nos in linguarum peritia, plu-  
res agnoscimus utilitates, quas lubenti aperiemus.

## LIBER III.

### DE APOSTOLICIS TRADITIONIBUS.

- I. **I**TA hunc locum imbecillum iudicant Lutherani, ut ne u-  
num quidem fidei dogma, ductis inde argumentis valeat  
confirmari. At loci huius auctoritas firma ratione conf-  
tabilita manet, si cum Cano Nostro, sequentia iacimus  
fundamenta:
- II. Primum: Ecclesiam esse antiquiorem Scriptura, fidemque  
proinde, ac Religionem sine Scriptura, sola Traditione const-  
tare.
- III. Secundum: non omnia, quae ad doctrinam Christianam  
pertinent esse etiamnum in sacris litteris expressa.
- IV. Denique: multa pertinere ad Christianorum doctrinam,  
& fidem, quae nec apertè, nec obscurè in sacris litteris con-  
tinentur; cum Apostoli maximis de causis, illorum, quae ad  
fidelium instructionem pertinebant, alia quidem litteris, alia  
viva voce prodiderint.
- V. Traditio alia est Divina, alia Apostolica, alia Ecclesiasti-  
ca; alia universalis, & particularis alia; quarum notio adeò  
in promptu est, ut nulla explicatione indigeat.
- VI. In his Traditionum generibus discrimen illud reperitur,  
quod ex Traditionum vinculo, quas Christus Apostolis, Apost-  
oli nobis edixerunt, Ecclesia fideles eximere, quemadmo-  
dum ex aliis divinis institutis non potest.
- VII. In Traditionibus verò, quae sunt ab Apostolis, ut Eccle-  
siae Pastoribus emanatae, potest summus Pontifex, ut in  
ceteris Ecclesiae legibus, dispensare: potest item contrarius  
populi mos id genus instituta abrogare.
- VIII. Equidem de institutis, ad populum Christianum pertinen-  
tibus, id intelligi volumus; dogmata quippe fidei, sive Chris-  
tus ipse per se Apostolis revelavit, seu Spiritus Sanctus post  
Christi



Christi Ascensionem in Coelum, mutari nequeunt: sed firma haec in veritate manent, perinde ac illa, quae Christi sunt ore prodita.

IX. Quatuor assignat Illmus. Cano vias, quas si sequamur minime in vestigandis Traditionibus aberrabimus.

X. Prima: quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.

XI. Secunda: si quod fidei dogma, Patres secundum suorum temporum successione[m] concordissime tenuerunt, huiusque contrarium ut haereticum refutarunt, quod tamen e sacris litteris non habetur, id nimirum per Apostolicam Traditionem habet Ecclesia.

XII. Tertia: si quidquam nunc est in Ecclesia, communi fidelium consensione firmatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum Traditione derivatum est.

XIII. Quarta: Dogmata, & consuetudines, quas viri Ecclesiastici, uno ore testantur nos ab Apostolis accepisse, Apostolica Traditione habentur.

XIV. Ex Christi, & Apostolorum Traditionibus certissima possunt argumenta elici, & ad Ecclesiae mores, & ad fidei dogmata comprobanda.

COROLLARIUM.

DE Orali Iudaeorum Traditione, eiusque explicationibus variis, *Mischna, Gemara, Talmude, Massora, & Kabala*: roga, si tibi placeat.

LIBER IV.

DE ECCLESIAE CATHOLICAE AUCTORITATE.

I. **E**cclesia vox Graeca est, quae Latine convocatio dicitur, sive quod omnes ad se vocet, sive quod, quicumque in eam conveniunt, hi non meritis, & iustitia

titia sua; sed Dei gratia, & vocatione conveniant. Et licet societas Angelorum & hominum, interdum vocetur Ecclesia, nobis tamen non est animus differendi, nisi de Ecclesia Militante.

- II. Ecclesiam sic acceptam, hoc modo definitur: *hominum fidelium societas, eiusdem Christianae fidei professione, & eorundem Sacramentorum participatione, sub uno capite Christo in Coelis, & eius in terris Vicario Romano Pontifice.*
- III. Perperam Cathari, Donatistae, & alii praedestinati solum ad Gloriam, iustis, ac piis; reprobis, ac improbis exclusis, locum in Ecclesia concessere: illa enim non electos modo sinu suo complectitur, sed fideles singulos, fortes, imbecillos, iustos, iniquos, omnes omnino, qui à Christo nomen & characterem habent, nisi publico Ecclesiae iudicio à fidelium consortio fuerint excisi.
- IV. Non solum Ecclesia antiqua in fide errare non potuit sed ne Ecclesia, quae nunc est, quaeve futura est usque ad saeculi finem, errare in fide aut potest, aut poterit. Nedum Ecclesia universalis, id est collectio omnium fidelium, hunc veritatis spiritum sempiternum habet, sed eundem habent etiam Ecclesiae Principes, ac Pastores.
- V. Equidem suas habet Ecclesia notas, per quas ab aliis societatibus distinguitur. Visibilis est; una est: Catholica est, tum, & communi fide, & unitate doctrinae, tum, & loci, & temporis habita ratione. Sancta, & Apostolica est.

#### COROLLARIUM.

**Q**UI veras Ecclesiae notas extra Ecclesiam Romanam perquiret, oleum perdet, & operam, proindeque veram Ecclesiam praeter hanc nusquam gentium reperiri, nec apud Lutheranos, nec apud Calvinistas, nec apud ceteras Protestantium greges, in Palaestra manifestabimus.

## LIBER V.

## DE AUCTORITATE CONCILIORUM.

- I.** Synodi, vel Concilii nomine adversus Lutheranos intelligimus Sacerdotes, & praesertim Episcopos in locum unum congregatos, ut ea definiant, quae ad fidem, moresque Ecclesiae pertinent. Errat quoque turpiter, pueriliterque Bucerus, cum asserit in Ecclesiae Synodum non debere cogi nisi Dei filios; Episcopi enim mali ad Concilium sunt vocandi, ut qui potestatem pascendi, ligandi, solvendi non amisserint.
- II.** Concilia alia dicuntur Oecumenica, alia Nationalia, alia Provincialia, Dioecesana alia.
- III.** Concilia Generalia voco, quae omnium Christianorum Pontificum convocatione celebrantur. Nec satis est tamen ad Generale Concilium evocatio generalis, nisi sit etiam congregatio generalis. Quis veró Episcoporum numerus necessarius sit ut Concilium Generale dicatur? dicam cui libuerit.
- IV.** Concilia Nationalia sunt, quando á Primate omnes unius Regni Episcopi convocantur. Provincialia cum ab Archiepiscopo suffraganei Episcopi congregantur. Episcopalia demum, quae ab Episcopis singulis in sua Dioecesi haberi solent.
- V.** Concilium, seu Generale, seu Provinciale, etsi congregatum sit Romani Pontificis auctoritate, habeatque Legatos illius assistentes, non confirmatum tamen, errare in fide potest; sed Summi Pontificis auctoritate munitum, certam fidem facit catholicorum dogmatum.
- VI.** Ex Conciliis Provincialibus, licet eis auctoritas Antistitis Romani desit, probabile argumentum sumitur ad fidei dogmata suadenda. Synodus Episcopalis in iudicio haeresis per se quidem probabilem fidem facere potest; si veró á Papa confirmetur, certum argumentum veritatis exhibet.
- VII.** Patres Concilii in fidei, morumque causa non modo Conciliarii, verum etiam Iudices sunt; Romanus vero Pontifex

maioris partis sententiam Concilii Patrum non tenetur amplecti.

VIII. Etsi Concilium, Romani Pontificis auctoritate firmatum, Spiritu Sancto regatur, eius definitiones Sacra Scriptura non sunt. Nec omnia, quae aut Iuris, aut Conciliorum volumina continent, doctrinae Christianae iudicia sunt, nec omnia rursus doctrinae iudicia fidei censura sunt. Erunt ne igitur notae aliquae, quibus Conciliorum de fide iudicia dignosci queant? Erunt plane; illasque cui libuerit manifestabimus.

IX. Concilium auctoritate Romani Pontificis confirmatum, in morum doctrina, eorum, qui sunt ad salutem necessarii, nequit errare. Nec iubere quidquam, quod, aut Evangelio, aut rationi naturae contrarium sit. In moribus vero non toti Ecclesiae communibus, sed qui ad privatos homines, vel Ecclesias referuntur, errare per ignorantiam Ecclesia potest; non in iudicio solum rerum gestarum dico, sed in ipsis etiam privatis praeceptis ac legibus.

X. Episcopi Titulares, sive ut alii vocant, Annulares, Synodum Dioecesanam congregare nequeunt, nec ius suffragii decisivi in Conciliis habent, nec ad illa sunt de iure vocandi.

#### CONCILIA OECUMENICA SING. PROP.

I. **P**rima Synodus Generalis Nicaena appellatur: coepit, & finita est anno 325. Praesidem naeta est Osium Antistitem Cordubensem, ac Vincentium, & Vitum, Rom. Ecclesiae Presb. A B. Sylvestro confirmata fuit.

II. Tribus praecipue de causis convocata est Nicaena Synodus; ad compescendas nempe Ecclesiarum dissensiones circa tempus Paschatis celebrandi, ad Meletii schisma extinguendum, tertio, & praecipue, ad Arianae haereseos damnationem.

III. Synodus Constantinopolitana prima, quae adversus Macedonium sub Theodosio Imperatore congregata, & à Damaso Romano Pontifice confirmata fuit, secundum inter Oecumenica Concilia tenet locum.

IV. Ephesinus primus generalis Conventus, convocatus fuit sub Theodosio Iunior, & Coelestino I. in causam Nestorii. Chalcedonensis sub Leone M. & Marciano Imp: haec trium Capitulum

tulorum auctores merito absolvit; illa Nestorium rectè damnavit.

V. Quinta Synodus generalis sub Iustiniano Imp. & Vigilio Rom. Pontifice habita, tria Capitula, adeó illis temporibus celebrata, iure, meritoque proscripsit.

VI. Concilium Trullanum, quod Quinisextum appellatur, minime inter Concilia Generalia computari debet; nedum eo quod plura Ecclesiasticae disciplinae adversa stabilierit, verum etiam, quod in illo Rom. Ecclesiae auctoritas, nec intervernerit, nec accesserit.

VII. Sexta Synodus generalis, quam Constantinopolitanam tertiam vocamus, sub Agathone Pontifice, & Constantino Pogonato. Septima sub Constantino, & Irene Augusta, Adriani I. Rom. Pontificis tempore. Octava sub Adriano II. Rom. Pontif. Imperatore Basilio convocata. Omnibus Summi Pontif. Legati praefuerunt.

#### APPENDIX.

**D**E Conciliis Lateranensibus I. II. III. IV. quam ob causam fuerint coacta, quem Praesidem habuerint, longius referam in Palaestra. Idem de concilio Lugdunensi I. Denique concilia Florentiae, & Tridenti sequiori aevo celebrata, legitima, & Oecumenica habenda esse censemus.

#### CONCILIA IN HISPANIIS HABITA.

I. **Q**uamvis Religio Christiana in Hispaniis iam inde à primò eius diluculo floruerit, argumento est in primis nobili, Conciliorum ibi celebratorum frequentia, gravitas, atque praestantia. Profectò anno 303. Hispani Episcopi novendecim numero, quotquot difficillimis illis temporibus adesse potuerunt, in Ecclesiam Illiberitanam iuxta Granatam, disciplinae restituendae causa, ad Concilium celebrandum Mense Maio convenere.

II. Illius auctoritatem infringunt multi, non haeritici modo, sed Catholici etiam nobilissimi, qui canones I. II. VI. VIII. XII. XVII. XVIII. XXXIV. XXXVI. erroneos esse pronunciant.

14  
ciant. Ego contra in illis sapientiam Apostolorum dignam agnosco, & disciplinam tunc temporis admodum opportunam.

#### APPENDIX.

**A**lia multa in Hispaniis habita invenimus Concilia, de quibus, si tibi placuerit, verba faciam.

## LIBER VI.

### DE ROMANAE ECCLESIAE AUCTORITATE.

**I.** **N**ON ego persequar infinitas de Romani Pontificis potestate quaestiones, tantum de auctoritate dogmatum Lutheranos adversus agimus. Ut ergo loci huius auctoritas firma ratione stabilietur, sequentia ponimus:

**II.** Petrus Apostolus fuit à Christo Domino institutus Pastor Ecclesiae Universalis, qui dum Ecclesiam docebat, aut oves in fide firmabat errare non poterat; illoque defuncto, divino iure est, qui illi succedat in eadem auctoritate, & potestate.

**III.** Cum Romanus Episcopus sit divino iure Petri successor, Romana Sedes est, in qua Petri soliditas, Deo auctore, est collocata. Hinc Romanus Episcopus potestate, ac iurisdictione omni Concilio superior est.

**IV.** In decretis Pontificis duo discernenda sunt, unum intentio, conclusioque decreti, aliud causa à Pontifice reddita. In conclusione Pontifex est infallibilis, si vero Pontificum rationes necessariae non sunt, nihil est immorandum.

**V.** Romanus Episcopus, cum ad privatas huius, aut illius Episcopi quaestiones respondet, suam opinionem de rebus propositis explicando, non fert sententiam, qua fideles obligatos esse velit ad credendum.

**VI.** In legibus pro tota Ecclesia condendis, infallibilitatem quoque habet Pontifex, nec quidquam in eis potest iubere, quod, aut Evangelio, aut rationi repugnet. In Sanctorum etiam Canonizatione, quidquid debacchentur haeretici, errare

75

re nequit. Et licet, qui hoc negaret, haereticus ipse non esset, in hoc tamen fidem Ecclesiae abrogare, temerarium, impium, & scandalosum est.

#### ROM. PONT. AB ERRORE VINDIC.

- I. **Q**Uamquam Divus Petrus Christum extremis labris se nosse negaverit, internam fidem non amisit; nec à Paulo increpitus fuit, quod à recta fide deviaverit.
- II. Victor I. non insanas Montani, Priscae, & Maximillae prophetias admisit. Injustè reprobatur severitas illius adversus Asiae Praefules, de festo Paschatis celebrando.
- III. Marcellinum, in persecutione Diocletiana, thura Idolis adolevisse in Templo Isis, & Vestae, refert Baronius in annalibus; at hoc Donatistarum figmentum est, atque impostura; proferri potest, & hoc planè novimus, Concilii Sinuesfani suffragium; sed istud reiicimus.
- IV. Liberium inter Arianos non cognoscimus. Honorius I. tametsi Monothelitarum errori obliquè faverit, Monothelita tamen non fuit; sed duas in Christo voluntates agnovit, Divinam scilicet, & humanam.

#### APPENDIX.

Ioannem XXII. reliquosque Rom. Pontif. quos brevitatè causa silentio praeterimus, in fide errasse, constanter negamus.

## LIBER VII.

### DE SS. PATRUM AUCTORITATE.

- I. **S**anctorum auctoritas, sive paucorum, sive plurium, cum ad eas facultates affertur, quae naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat; sed tantum pollet, quantum ratio naturae consentanea persuasserit.
- II. Unius, duorumve auctoritas etiam in iis, quae ad sacras literas, & doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum non potest. Nec plurium Sanctorum auctoritas, reliquis licet paucioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo sufficere valet.

III. Sancti simul omnes in fidei dogmate errare nequeunt. In expositione sacrarum litterarum communis omnium Sanctorum intelligentia certissimum argumentum Theologo praestat ad fidei assertiones corroborandas. In quaestionibus vero, quae ad fidem, & mores non spectant, omnium etiam Sanctorum auctoritas, fidem certe probabilem facit, certam non facit. Sed quis Sancti Ecclesiae Patris nomine intelligatur? cui libuerit dicam.

## LIBER VIII.

### DE DOCTORUM SCHOLASTICORUM, IURIS- QUE PONTIFICII PRUDENTIUM AUC- TORITATE.

- I. **T**heologi Scholastici nomine illos tantum intelligimus; qui de Deo, rebusque divinis aptè, prudenter, docte, ex litteris, institutisque sacris ratiocinantur.
- II. Concordem omnium Theologorum Scholae de fide, aut moribus sententiam contradicere, si haeresis non est, at haeresi proximum est. Illorum vero communis sententia in re quidem gravi, usque adeo argumenta probabilia praestat, ut illis refragari temerarium sit.
- III. Multorum autem testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit.
- IV. Iuris Canonici cognitionem valde Theologo necessariam esse affirmamus, in iis tamen, quae ad fidem, & mores pertinent, quatenus ex evangelica lege, aut naturae ratione definire licet, Iurisconsultorum auctoritate Theologus non eget.
- V. Ubi vero de moribus Ecclesiae per leges tantum Pontificias, aut de poenis iure praefinitis incidat quaestio, Iurisperitorum omnium communis concordisque sententia, Theologo magnam fidem facere debet.



## LIBER IX.

RATIONIS NATURALIS ARGUMENTA  
CONTINET.

- I. **N**ihil nobis immorandum esse video an hic locus firmus, an potius infirmus sit, cum naturae argumentationes constet, unas certas, alteras incertas esse.
- II. Dialectici demonstrationes vocant, quae ex perspicuis, exploratisque principiis aliquid certo, evidenterque conficiunt.
- III. Incertae verò, quae licet probabiles sint, coniecturis tamen huc, atque illuc trahuntur, nullamque habent suadendi necessitatem.
- IV. Naturalis itaque ratio in usum Theologiae veniens, interdum infirma, firma nonnumquam argumenta Theologo praestat.

## LIBER X.

DE PHILOSOPHORUM NATURAM DUCEM  
SEQUENTIUM AUCTORITATE.

- I. **N**ON illi Philosophi, qui falsa senserunt, nostram possunt adiuvari doctrinam; sed hi solum, qui naturae vim, & effecta, morum ac vitae normam, via, & ratione investigarunt.
- II. Philosophorum omnium una eademque consensus, certam fidem facit Philosophici Dogmatis: unius tamen, aut alterius auctoritas, eo est probabilior, quo quisque doctior est. Nulli tamen Theologus ita sese adiudicare debet, ut ab illo ne latum quidem unguem discedendum putet.

- I. Sane qui Ius civile Theologo negligendum putet, is bonam partem Philosophiae revellit, cuius subsidium, si quis illi neget, de moribus differenti, stultus esse videatur. Et quamquam argumentum, quod à Iure civili ducitur, nec certum fortassè, nec exploratum sit, probabilissimum tamen est, cum omne, tum illud magis, quod à legibus Christianae Reipublicae usu probatis, Theologus accipiet.
- II. Quamobrem si Theologus ex Iuris civilis Consultorum auctoritate argumentum sumat, nihil à professionis suae instituto abhorrebit; nec enim mihi Ludovicus Vives probari potest in eo, quo universam legum Romanorum, & vim nititur frangere, & elevare auctoritatem, quippe plus ille nimio interdum sibi indulget, dum corruptas disciplinas persequitur.
- III. Nec etiam mihi Iureconsultus est leguleius quispiam, cautus, & acutus, cautor formularum, auceps syllabarum, iniustitiae, aequae, ut iustitiae Patronus; sed id tantum assero civiles leges eas vel maxime, quae Christiani populi usu, & more observatae diu sunt, Theologo ad argumentandum esse utiles.

## LIBER XI.

## DE HISTORIAE HUMANAЕ AUCTORITATE.

- I. Quam sit Theologo humana historia utilis, & necessaria, vel illi abunde magno argumento sunt, qui eius ignoratione in varios sunt errores lapsi.
- II. Attamen praeter Auctores Sacros, nullus historicus idoneus esse potest ad faciendam certam in Theologia fidem.
- III. Historici graves, ac fidedigni, quales nonnulli, & in Ecclesiasticis, & in Secularibus fuere, probabile argumentum Theologo suppeditant.
- IV. Si verò omnes probati, & graves historici in eandem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum promittitur argumentum, ut Theologica dogmata firma ratione stabiliantur.
- V. Si autem viam rationemque petas, qua veraces historicos,

á fallacibus distinguere, atque internoscere valeamus, primam tibi damus regulam ex hominum probitate, atque integritate. Quae omnino locum habet, cum quae narrant historici, ea, vel ipsi se vidisse testantur, vel ab iis, qui viderunt, accepisse.

VI. Lex vero secunda in historiae iudicio est, ut eos historicos reliquis anteferamus, qui ingenii severitati, quandam prudentiam adiunxerunt, & ad eligendam, & ad iudicandum.

VII. Tertia regula est: si cui historico Ecclesia auctoritatem tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam auctoritatem adiungamus, contra vero, cui Ecclesia derogaverit fidem, ei quoque nos fidem iure, ac merito derogabimus.

## LIBER XII.

### DE LOCORUM USU IN SCHOLASTICA

#### DISPUTATIONE.

I. **P**ropositum est nobis de Locorum Theologicorum usu in scholae disputatione dicere. Id, ut recte, atque ex ordine fiat, optimum est definire, quidnam Theologia sit. At Theologia quidem, si Graecam vocem in Latinam vertimus, *ratio est sermoque de Deo*: Dei naturam, vim, & proprietates inquirens.

II. Nec veró Theologo satis est, quae Deo in se absolute conveniunt, ea facultatis suae viribus, iuribusque tribuere, nisi illa etiam vendicet, quae Deo quasi accidunt in ordine ad creaturas; & quamvis de Deo ipsa praecipue sit, plurimum tamen circa homines, humanaque versatur.

#### THEOLOGIAE PRINCIPIA.

I. **O**Mnia, quae sunt Ecclesiae divinitus revelata, in propriis Theologiae principiis sunt habenda: non ea solum dicimus, quae auctores sacri, scripturis suis prodiderunt, sed quae verbo etiam posteris commendarunt.

II. Enim vero huius disciplinae principia non eodem gradu locata sunt omnia. Quaedam enim simpliciter prima sunt, quae

quae vi sua generali cetera continent. Sunt & alia etiam praecipua quidem, & immediata, sed contractiora tamen, quam illa communia. Alia demum sunt non propter se potissimè petita, sed eorum, quae sunt praecipua explicandorum gratia. De quibus longius in Palaeltra.

### THEOLOGICAE QUAESTIONES.

- I. **E**adem res est quaestio Theologiae, & eius conclusio; sed cum per interrogationem elata in controversia ponitur, quaestio est; cum argumentatione colligitur, conclusio.
- II. Ea igitur est propriè Theologica conclusio, quae ex Theologiae principiis, ut effecta è causis oritur: adeoque nullam Theologiae quaestionem existimamus, quae non possit ad eiusmodi initia referri; exque iis aptè, & congruenter argumentando definiri. Loquimur hic de quaestionibus propriis, ac primariis.

### NOTAE AD QUAEST. FIDEI IUDICANDAS.

- I. **I**pse apertus Scripturae sensus, certum praese fert Catholicae veritatis indicium. Sed cum Scripturae sensus fuerit obscurus, tunc Ecclesiae intelligentia eadem est germana Scripturae intelligentia, ex qua habebitur (crepet licet Haereticus) & Catholicae veritatis insigne certum, & ad probandas Theologicas conclusiones certi eius, quod exquirimus, argumenti delectus.
- II. In Ecclesiae nomine non modo fidelium concio intelligitur; verum etiam Ecclesiae Pastores, ac Doctores praesertim in Concilio congregati.
- III. Sedes quoque Apostolica intelligitur.
- IV. Consentiens eadem Sanctorum omnium conspiransque Scripturarum intelligentia, ipsissima est fidei Catholicae veritas.
- V. Si ex Apostolorum Traditione communis Ecclesiae usus, unamquamlibet Scripturae interpretationem praese tulerit, ea ut fidei veritas tenenda est.
- VI. Si Scholastici Theologi omnes, aliquam conclusionem firmam, & stabilem uno ore testentur, atque ut certum Theologiae decretum fideles perpetuo docuerint, illam ut Catholicam veritatem fideles sane amplectentur.

VARIJ ERRORUM GRADUS.

- I. **H**Oc quidem sane luculenter, ut ab hominibus definiendi peritis, à Theologis Scholae dictum est, haeresim esse, eius, qui fidem professus fuerit, pertinacem errorem, illi veritati manifestè contrarium, quae Catholica certò sit.
- II. Cum veritas aliqua sapientum quidem opinione vehementi, fidei veritas est, sed non est planè ab Ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata, tunc veritati illi adversari, non haeticum, sed erroneum est.
- III. Quae propositio haeresim sapiat, non tam finitione, quam sensu quodam, gustuque prudentiae iudicatur. Idem etiam de propositione male sonante, seu piarum aurium offensiva dicimus.
- IV. Quae propositio non inconsulta oratione modo, sed confidenti etiam audacia, insolentia proterva, exultatione impudenti, non contra fidem dicimus, sed contra Ecclesiasticae modestiae regulam asseritur, eam Theologi temerariam constituunt.
- V. Propositio scandalosa, illa vocatur, in qua scandalum notari potest, haeresis non potest. At scandalum non hic more vulgi usurpamus, pro eo quod aures offendit, quodve fidelis populus horret; sed pro eo quod infirmis causam ruinae praestat, & quod ante fidelium pedes positum, eos facit in illud incurrere, irruere, offendere. De propositionibus *sibimatica, seditiosa, maledica, contumeliosa*, ceterisque omnibus, quae in scholae veniunt usum, percontanti respondebo.

REGULAE AD FIDEI IUDICIA DIRIGENDA.

- I. **P**Rima formula in promptu est, ipsius contra se errantis testimonium. Nec verò intelligas velim, ut, si reus, qui haeresis fortasse vim & naturam nescit, haeticum se esse fateatur, haeticus continuo censendus sit: sed ita accipi oportet, ut reus, cum factorum, dictorumque suorum, tum propriae conscientiae, atque animi testis contra se sit; Iudices ex factis, dictis, ingenioque illius haeresim deprehendant.
- II. Alteram D. Thomas protulit 1. p. q. 32. a. 4. Si error fidei contrarius circa ea sit, quae nullo modo est probabile  
ab

ab errantibus ignorari, qui ad fidem Catholicam certo pertineat, tunc Iudices de haeresi tuto pronuntiabunt.

III. Tertia: duae res Iudicibus sunt accuratius transfigendae, quarum una Theologorum propria est, altera cum Theologis Iurisperitorum etiam communis. Primum igitur a sapientissimis Theologis illud explicatum, definitumque habeant Iudices, an error, qui in iudicium venit, cum fide Catholica aperte pugnet: deinde diligentem navent operam, quo illis errantis pertinacia pateat. Quomodo autem pertinacia dignoscatur, roga.

### ARGUMENTA QUOMODO E LOCIS ERUENDA.

I. **O**Mnium autem in hac re praeceptorum illud primum est, ut Theologus Locorum numerum addiscat, cognoscat vires, proprietates demum compertas habeat, argumentationesque suis reddat locis.

II. Multo vero magis Theologo elaborandum est, ut cognitis, tractatisque locis, quaestionem, quam versare cupit, in locos Theologiae coniiciat. Cum autem illam per omnes deduxerit, accuratius considerare debet, quid è singulis iam utramque partem dici argumentando possit; & iudicio adhibito, pervidendum utraque quaestionis partem argumenta probent. Ceterum in Auct. tradita propugnamus.

*Ut. Fr. Ioannes Martyr Terrassa Mag. & Studiorum Regens;*

Visto.

*Muñoz V. G. & Offi.*

Visto.

*Carrasco Fiscal.*

Imprimatur: *Cregenzan Regens.*